confuſam, corruptamque clamant, & medicam a ſe poſcere opem, perſuaſum vel ipſi habent, vel aliis certe cupiunt. Quæ ergo temere & falſo, in ſanctiſſimo codice, vulnera cauſantur, nec inveniunt, ipſimet eidem infligunt, nunc ordine turbato, & verba ſingula, & integras pericopas, loco ſuo moventes ac transponentes, nunc expuncta & obelo confixa lectione vetere ac genuina, novam ex ingenio ſurrogantes, nunc ſublatis vel perperam permiſtis diſtinctionum notis, alienum intrudentes ſenſum, nunc verſiones cum Originali textu invicem committentes, & huic ex illis medelam parantes. Vere in iſtos quadrat effa-

Pſ. XI, 4. tum: הַשָּׁתוֹת יֵהָרֵסוּן צַדִּיק מַה־פָּעָל׃ Vim iſtam oraculis cœleſtibus illatam, CRITICEN appellant, cujus æque ac Philologiæ ſacræ ſpecioſo obtentu, omnem Scripturarum auctoritatem convellunt, fidem elevant, dignitatem funditus evertunt. Latius ſerpſit atra iſthæc lues, quam metueretur ab initio, viresque acquirens eundo, duplicem eccleſiæ cladem intulit graviſſimam. Alteram,

quod

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn32162064X/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG